



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

14. Donatio in sponsa facta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

tritor quantum valuerit consequatur. Et ut præfens epistola firmior sit, manu nostra propria eam subter firmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus. Actum.

Ingenuitas.

XII. Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, præmium in futuro apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ vel æterna retributione servum juris mei nomine illum ingenuum esse præcipio, & in sacrosancta Ecclesia beatissimi sancti illius, sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium, ante cornu altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo, ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, & sicut alij cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum meorum nec cuicumque alie personæ quicquam debeat servitutis nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt, vel pro cuius amore ipsum devotus obtuli. Peculiare quod habet, aut in ante laborare potuerit, cessum in perpetuum habeat. Patrocinium & defensionem cuicumque elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare præsumperit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos sexaginta componat, & præfens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, omni tempore maneat inconvulsa.

Cautio.

XIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi beneficium de rebus vestris illis inter annos tantos facere deberetis, quod ita & fecistis. Et ego pro huius merito beneficij oppignoro tibi locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum omni sua integritate vel soliditate. Ea verò ratione ut quomodo jam dicti anni adimpleti fuerint, & tu fructus ipsius terræ per quinque annos tantos exinde collegeris, ego supradictum debitum tuum tibi desolvam, & rebus meis unâ cum cautione mea de manibus tuis recipiam. Et si negligens aut tardus exinde

apparero, suprascriptum debitum tuum in duplum partibus tuis sum redditurus.

Donatio in sponsa facta.

XIV. Lex & consuetudo exposcit ut quicquid inter sponsum & sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsi, si sui juris sunt, scripturarum solemnitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dum multorum habetur percognitum quòd ego te illa unâ cum consensu parentum vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsavi, mihi placuit ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adjacentiis, tam de alode quàm & de comparato, seu de qualibet adtractu, totum & ad integrum, sicut à me præfenti tempore videtur esse possessum, & in fabricaturas aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Hæc omnia superius jam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus vel traditurus, ita ut dum advixeris secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis vel filiabus derelinquas. Si quis verò, si ego ipse aut ulla quislibet persona fuerit qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare præsumperit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, & hæc donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, firma permaneat.

Traditio ad sponsam.

XV. Dum multorum habetur percognitum qualiter ego ille puellam aliquam nomine illam unâ cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsavi, & aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum disposui, ideo placuit mihi ut de ipsis rebus misso ipsius puellæ nomine illo traditionem vel introductionem locorum secundum legem Romanam facere deberem, quod ita & feci. Ergo trado ei & tradidisse me constat locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, acco-